UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Dispvtatio De Statv In Qvo Sint Beatorvm Animae Post Hanc uitam, ante ultimi iudicij diem

Dévay Biró, Mátyás

[Nürnberg], [1537]

VD16 D 1300

Propositio XLVI.

urn:nbn:de:hbz:466:1-34195

Visual Library

Augustinus super Ioannem: Magnum & generale ieiunium est abstinere ab iniquitatibus & ab illicitis uoluptatibus huius seculi &c. Christiano semper phase celebrandũ, semper egrediendum de Aegypto uitiorum, & in nouitate spiritus ambulandum, de uirtute ad uirtutem eundum, affligunt sua corpora ut obediant spiritui, ut sobrietatis exemplũ sint alijs. Vescuntur autem cibis indifferenter, non eũ habent eorum delectum, ubi fratruum infirmorum ratio admittit. Ieiunium ergo cordis cum sit fides, semper ieiunat qui semper fidit Deo. Non uacat Fratris ineptias adferre.

PROPOSITIO XLVI.

OMnes dies æquales sunt.

CENSVRA.

VNus dies alio sacrior est.

CONDEM. CENSVRAE.

OMnium ex æquo prædicatorum officium est uerbi ministeriũ & innocentia uitæ. Vt aũt rite utantur ministerio selecti sunt dies a patribus, non quod illi cæteris sanctiores essent, sed ut tunc populus cõueniret ad audiendam missam, id est, uerbi prædicationem. Nam hac seruitute obligamur Deo festis diebus, ut ipsius uerbum per ministri functionem diligenter audiamus. Hæc aũt propositio non est mea sed Hieronymi super Galatas cap. 2. Et Christiano omnis dies sacer est, & uita tota nõ nisi sabbatum esse debet, id est, requies a peccatis. Esa. ultimo: Erit mensis ex mense, sabbatũ ex sabbato. Et Colo. 2. Nemo uos iudicet in parte diei

Hieronymus

Esaiæ vlt.
Coloss. 2.

diei festi &c̄. Et sanctificare sabbatum, non est aliud, quam sanctis operibus transigere. In ferijs sancta opera sunt exercenda: uerbum Dei audiendum, fratres charitatis officijs demerendi, non ocio torpendum, non luxui ac gulæ indulgendum, ut solent Papistæ, qui totam diem magis perpotāt in festis diebus, cꝫ unius uiduæ segetem, ab iniuria aëris, conuehendo in horreum uindicarent. & eorum feriæ profecto nihil aliud sunt, quam ceremoniæ hominum, luxus uestium & epularum, ut cætera taceam. Porro tertium Decalogi præceptum, quo sensu sit accipiendum, docet Augustinus ad Ianuarium, Epistola 119. Inter omnia decem præcepta solum hoc est figurate obseruandum, quam figuram nos intelligendam, nō etiam per ocium celebrandam suscepimus. Idem de litera & spiritu, cap. 14. Quisquis illum diem sicut litera sonat, nunc usqꝫ obseruat, carnaliter sapit. Adhæc ipsa charitas dictat, nedum seruos, ancillas, sed & ipsa pecora semel in hebdomada refocillanda, sed huius rei finis politicus esse debet. Concludit ergo Hieronymus omnes dies æquales sunt, etiamsi conclusio sit contra Monachos.

PROPOSITIO XLVII.

SVb elementis sunt qui creaturarum faciunt differentiā.

CENSVRA.

NOn est hic homo a Deo qui sub elementis ponit Apostolos &c̄.

CONDEM. CENSVRAE.

ELementa non philosophice accipiuntur, sed Paulo significant doctrinam siue diuinam (ad tempus) siue humanam